



pag. 651, III.

L199



68

ÆMULATIONIS
ENCOMIUM
AUDITORIBUS
SUIS
INCULCAT

M. JACOBUS Reichmann /
Amplifs. Fac. Phil. VVitteb.

ꝛꝛꝛꝛ Adj. jam Schol. Torg.
Rector.

Witteb. Prælo JOH. BORCKARDI An, 1660.



pag. C 51, III

EMILIAE
ENCOMIUM
AUDITORIBUS

SUIS
INCHICAT

M. JACOBUS  RICHMANN

Ampliss. Fac. Phil. Vitebp.

1672

Wittp. Philo. 100. KARDI. An. 1660.



Ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi
Ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi
Ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi ubi

I. N. 7.



Um naturá in do-

les juvenum ita compa-
rata sit, ut ægrè ac ne vix qui-
dem obtineri ab eâ ac impetra-
ri omninò possit, quo summâ
alacritare studiis operam nava-
re, aut sanctum ac venerabi-
lem doctrinæ virtutisq; cul-
tum amplecti suâ sponte indu-

cat animum, nihil prope modum fuit, quod adeò cu-
ræ cordiq; extiterit iis, qui præsumt illi formandæ,
quàm vias ad solidam eruditionem consequendam la-
tas aperire, perq; apertos, missâ mappâ, emittere car-
ceres, ad metam desudaturos, quorum ingenia & vi-
res ante exploraverunt probè, quiq; idonei admodum
visi ad consequendum nihil non egregij ex eo, in quo
aut propositi ratio sedet, aut optimorum parentum
vota ac desideria figuntur. Et concinnus oppidò,
præter alia, rerum opifice indigitante, hic quoq; in-
ventus ordo est, ut videlicet sine circuitu, & absq;
ullis ambagibus diligentissimè, quantum potest, à te-
neris labori assuescant, nec unquam tam occupatum
diem habeant, quin eodem vel unicam ducant line-
am, singulatimq; collecta tandem luci & censuræ bo-
norum exponant, memores nullam artem sine assiduâ
quâdam tractatione & exercitio ad fastigium usq; as-

A 2

cendis-



cendisse. Nam cum ad comparandam scientiam in
qualibet re, præcipuè autem in excolendo literarum
studio tria maximè necessaria judicentur; *Φύσις*, seu
naturæ vis atq; acumen; deinde *μάθησις*, quam licet
appellemus doctrinam; tertium *ἄσκησις*, seu exerci-
tatio & usus: non possumus non præ cæteris ingenio
atq; divino acumini plurimum concedere, sed tamen
hoc ipsum culturam ex annata tarditate incitare, & su-
am quoq; inde mereri laudem, locupletissima argu-
menta non desunt; usui verò & exercitationi cum o-
mnibus in rebus, tum in addiscendis literis insigni-
tam deferre palmam nulli unquam dubitaverimus.
Usus, unicus pes, ut sic dicamus, caputq; esse cen-
setur, cui nihil adeò remotum, aut subductum est,
quod non assequatur. Quod vel vulgare illud & in tri-
viis quibusvis decantatum haud obscure inculcat:
Natura incipit & primas quasi lineas designat, Ars di-
rigit, Usus autem omnium rerum optimus Magister
incepta perficit, redditq; absolutissima. Gravissimè,
ut omnia, Cicero pronuntiat: Multos homines ex-
cellenti animo ac virtute fuisse, & sine naturæ ipsius
habitu propè divino per seipso & moderatos & gra-
ves extitisse. Fatetur quidem & hoc: sæpius ad lau-
dem atq; virtutem naturam sine doctrina, quàm sine
natura valuisse doctrinam. Verum cum ad naturam
eximiam atq; illustrem accesserit ratio quædam con-
firmatioque doctrinæ, tum illud supra humanam for-
tem quid præclarum ac singulare solere existere. Sed
voti egregij victorem quempiam evasurum vix spera-
verimus, nisi assuetus operi applicuerit quam maximè
animum ad crebra exercitia. Quid porro? illudne du-
bium est, quin usus & conatus assiduus multos correxe-
rit, cum tales aut ita cum nonnullo vitio nati essent,
ut

ut paullo post naturæ labem ex facili sustulerint? Quemadmodum Demosthenem novimus, de quo Phalarus refert, cum primam literam dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime pronunciaret. Exiguuo temporis spatio plura ingenium haurit exercitiis, erutisq; splendorem, ac pretium majus conciliat quam nuda plurimorum annorum institutio alias efficere valuisset. In hoc proinde quemq; secum putare oportet, eligereque quos sibi prævios esse velit tum Duces, tum æmulos pares, ne huc aut illuc agatur, ne in avia abreptus, erroribusque fatigatus tardius studiorum spatia absolvat, aut quodam fortè desidiæ torpore implicitus differat profectus, expectetq; à futuro, quæ jam jam ipsis manibus comprehendenda præsens offert hora. Generosi equi in circo exercendi nullo magis quam parium, aut vel maxime superiorum gaudent concursu. Quot aspiciunt in campo decursuros, tot vel victores, vel suæ potius virtutis approbatores, alacritatis victoriæque testes præstò se habere sibi gratulantur.

Tunc bene fortis equus referato carcere currit,

Cum quos prætereat, quosve sequatur habet:

Sic optimum quemque ex erudiendis incitat mirifice ac inflammat commilitonum præsentia, labor, assiduitasque, ut stimulis quibusdam acceptis nunquam possit sistere, ac semper adeò magis magisq; illud pergat, quod semel ingressus est spatium. Hæc ipsissima æmulationis ratio est, sororio vinculo cum exercitatione conjuncta, & maxime posita in eo, ut ne invidiamus temerè aliis, sed suum cuiq; cedamus lubentes, flagrantissimo unà accensi desiderio, ut quamproximè accedamus superioribus, siq; fortè primas obtinere quispiam diffidat, in secundis tamen, aut saltem

A 3

tertiis

tertiis infra subsistere, nemini unquam fraudi aut de-
decori fuisse arbitretur. Ecquis enim nostrum anti-
quorum illam æmulerur indolem? quorum tantum in-
eruditione fuit fastigium, ut præclare nobiscum agi ar-
bitremur, si unde illi moliri sunt aggressi, ibi nos co-
lophone quasi impositâ manum de tabulâ tollendam
meminerimus. Horum interim exempla penitus in-
tueamur oportet, nosq; ad illos imitandos totos com-
ponamus, quemadmodum pingendi cupidus præcla-
rus Apellis, Protogenis, Antiphili picturas, artem,
lineamenta inspicit accuratissimè, manuq; tandem ad-
motâ egregiæ cujusdam pulchritudinis effigiem peri-
clitatur, & quàm simillimam alteri penicillo exprimit.
Exempla certè eorum, quibus gloriam & applausum
ingentem, de ferri cernimus, nescio quo stimulo ex-
uscitent reliquorum animos ad tale quid audendum,
ut pariter in ea se committant spatia, quæ omnium vir-
tuti ac gloriæ aperta didicerunt. Alit æmulatio inge-
nia, Vellejus Paterculus elegantissimus scriptor haud
præter rem asserit. In quibus enim aliquid animi &
nervorum est, hi certè inflammati singulari aviditate
feruntur, ut cæteros strenuè progrediendo vel æquent,
vel de superatis illis, cum quibus sibi certamen institu-
erunt, triumphum quasi possint deducere. Aliorum
quippe felicitatem æmulus assiduè respicit, commoda
eorum sollicitis articulis computat, iis vehementissi-
mè commovetur, non quod aliis, qui maximè digni
sunt, invident aut inani quadam doctrinæ persuasione
fascinatus reliquos vel bardos aut fungos æstimet, aut
tales, qui minus in censum commilitonum veniant,
sed sibi æquè consultum cupiens suo quoq; in sinu sibi
gaudet, sibi assequendum, præcipuè statuit, quod &
publicæ rei quàm maximè profutura promittere, & in
studiis

studiis suis ad optimiorem aliquam & magis proficiuam
conditionem facere videtur. Hoc ipsum æmulus Iso-
cratis, sed Philosophorum Coryphæus Ζήλας seu æmu-
lationis vocabulo exprimere non abhorruit, quum vi-
delicet pares inter se, siue re ipsâ pares sint, siue quod
tales videri optent, de cuiusdam peculio acquirendo,
atq; conservando equis velisq; contendunt. Estq; hæc
omnino liberalis admodum, omnium commendati-
one digna, optima & cum virtute conjuncta æmula-
tio, orta ex eo, quod quivis mortalium ipsius natu-
ræ impulsu honoris appetens, concertantibus de di-
gnitate futura vel tantillum quidem concedere laudi
maximæ sibi ducat. Illiberalem verò alteram juxta
æ fœdidam, quam Græci, inq; eis imprimis Eusta-
thius Ζηλοτυπία, alij itidem alio titulo, Φθόνος videlicet
insignire consueverunt, ne liberali quidem ingenio di-
gnam, neque frugi homini, utpote inimicam ipsi atq;
adversam, facile tolerandam, ad Saramantas potius
Indosque extremos, aut ad scapas Gemonias elimi-
nandam censemus oppidò, ubi nullus est ardor, nul-
lum desiderium exæquandi se cum eo, qui bonus au-
dit, sed propter dolorem, eumque acerrimum ob al-
terius felicitatem exortam nihil spirat aliud, quam de-
tractandi libidinem. Non enim admiratione dono-
rum excellentium imitationem in desideribus accendit,
sed optimos quosq; & florentissimos in studiorum re-
dente Theonino rodit, conficitq; & mirum in modum
officit eorum conatibus. Rectissime hanc Noctis at-
ræ filiam Persæ fratri suo notam, & hoc vel imprimis
cane pejus & angue fugiendam Hesiodus Poeta vole-
bat, quod ingenuos mores promovere insuper habe-
at, quod malignâ fraude tectisq; dolis omnia agat,
quod lucem detestetur fugiatq;. Hæc ergò ipsa in no-
cte

de obscura progenita juvenes suâ Virtute jam jam for-
tè emersuros obruit, & velut in primis carceribus si-
stit, iis se opponit undiquaque, & nullos non clath-
ros machinasq; , ne erumpant, objicere contendit;
Illa verò Divis orta bonis lucem non veretur, sed a-
mat maximè, & super rerum humanarum sortem eve-
cta velut in coeleste illud consortium penetrat, suos è
tenebris emersos sancto splendore collustrat atque per-
fundit, ut omnibus conspiciendi, aliis quoque facem
præluceant: Illa, ut pernitiola & detestabilis est, tor-
quens pariter ac lancinans, plusquam aquila Tityi je-
cur, quorumcunque semel occupavit pectora; sic hanc
proficuum admodum ac sectandam omninò putamus,
quibus volupe est audire, quomodo & quantum quis-
que eruditionis, honoris atq; gloriæ sit consecutus; Il-
lam teterrima Erynnis, & quicquid in Furiarum co-
horte fingitur; Hanc serius honor cordatusq; sapien-
tissimorum splendor comitatur: Illa inertiam sequi-
tur, apud humiles ac abjectos duntaxat animos com-
moratur, Utq; *latens imâ vipera serpit humo;*
Hæc subinde sibi ingeminandum expetit:

Occupet extremum scabies, mibi turpe relinqui.

Pompejum itaq; ac Casarem, quorum nec ille pa-
rem, neq; hic ferre superiorem potuit, suæ exerceant
Furiæ, atq; ad obtinendum per varias technas in impe-
rio principatum stimulis urgeant: Regnum Musarum
Charitibus totum, & non nisi sincero amore stipatum
est; quibus profectò nemo litare, nisi vacuus omni in-
vidiâ, quas nemo ita venerari, ut propitias semper ha-
beat, nisi fellis expers & purus criminum poterit. Est
sua aliâs cuiq; libertas in hoc regno literario, ingenuâ
contentione superare cæteros, palmâq; in medio pro-
positâ ad victoriam adspirare. Hæc purâ juxta atq; in-
genuâ

genua æmulatione nihil utilius, nihil honestius esse, nemo non prospiciet, nisi forte Tiresiâ se cæciorem agnoscat. Habent hic provectiores, quod animet ulterius, quodq; in spatiis, quæ fecerunt, non fatiget, habeat itidem inferiores, quod segniorem paulò; animum exuscitet, quod primas formare lineas quod & absolvere si nuosa volumina ostendat. Ut enim parvuli olim gressus utcunq; formaturi gerulorum parentum manu non subnixi solùm pedes alternavimus, sed manu ducti præeuntes sumus secuti, cumq; euntibus unâ i vimus: sic semel ingressis theatrum literaturæ strenuè urgendum legenda vestigia, à præcidentibus signata, statuendumq; tandem, nihil tam altè à natura collocatum, quò non virtute pateat aditus. Isocrates noster Dæmonicum hortatur, ut parentis sui vestigiis insistere ne unquam obliviscatur adducitq; par exemplorum, tum Herculis, tum Thesei, quorum ille Liberum Patrem æmulatus terrarum orbe ab ortu ad occiduum usq; solem & meridiem versus peragrato columnas in ipso Oceani & terræ confinio in sempiternam rerum memoriam monumenta constituerat; Hic pariter Herculis consobrinus ejusq; laborum virtutumq; usq; adeò æmulus fuerat, ut præclara ipsius facta in somnis identidem occurrentia non sine singulari oblectatione contemplaretur. Nec inani contentione animi studium illud profecuto. Aliquot enim confectis monstris hominum ipse grande nomen est adeptus, nisi hoc benè partum decus postea peregrinarum mulierum rapinâ fædasset turpissimè. Ecquis porrò omnem socordiam non habeat procul, si ordinis sui ætatisq; adolescentes egregios conficere progressus sentiat, si audiat vel intueatur eosdem in omnium spe ac votis plenos ascendere cathedras ac cum ingenti applausu descendere iterum ac redire? A

B

lexan-

Alexander ille, cui à rerum gestarum magnitudine illud nunquam oblitterandum nomen hæ sit, viso Achi'lis sepulchro illicò collacrymabundus studio gloriæ & virtutis æmulatione eum felicem prædicare cepit, cui contigisset habere tantum tamq; divinum laudum suarum præconem. Non absimile videtur quod de Julio Cæsare uotavimus. Is cum in Hispaniâ per otium legeret Alexandrinam historiam, diu secum quasi multa cogitabundus sedit, luctatusq; cum animo, in lacrymas tandem, quantus erat, profusus totus, amicis insolitam rem mirantibus: Quid? inquit, annon satis causæ gemendi nobiscum istue ætatis magnus ille Alexander tot regna orbemq; fermè terrarum subegerit, nos nihil tum gessisse dignum laude? Sic nulla vis, nullumq; momentum majus ad res in bello optimè gerendas apud istum valere poterat, quàm summi istius viri virtus atq; exemplum. Themistoclem verò quis nescit, quod cum adversus barbaros pugnatùm ab Atheniensibus apud Marathonem esset, resq; Miltiadis Ducis præclare gestæ celebrarentur, meditabundus plerumq; noctes exegerit insomnes, intermissis omninò consuetis comotationibus, causam tam repentinæ vitæ vicissitudinis aperiens amicis stupentibus: somnum sibi adimere Miltiadis tropæum in Marathone erectum. Huic sanè non adimere tantum modò somnum Persica tropæa, sed & somnia condiisse visa sunt. Num quid autem bellicis in rebus unicè valuit æmulatio, non itidem in castris Musarum? Prodeat in medium Demosthenes edisseratq; ipse, de quo nunc quærimus. Is sanè vix tantos progressus habiturus fuisset in orationibus tum habendis, tum conscribendis, ut cum excellentissimis in eo genere Oratoribus compararetur nisi etiam num puer constituisset iudicio interesse illi, ubi oratorum
maxi-

maximus Callistratus causam acturus in foro esset de O-
ropo, cui generi causarum ut & sibi interesse liceret, au-
scultandi veniam à suo Magistro precibus humillimis
aegrè impetravit. Puerum siquidem admittere ad sub-
sellia publica, gravioribusq; implere disciplinis æquè
erat religio, ac Herculis cothurnos infanti aptare. Pæ-
dagogus nihilominus, quod consuetudinem haberet
cum iis qui auditorij foribus præerant, aperiébantq;
ex facili obtinuit, ut locus esset puero in occulto, au-
scultandoq; Virum gravissimum ea compararet præsi-
dia ac ornamenta maturius, quib; maximè indigebant
tum patriæ res, nec stare sine illis poterant. Pulchrè &
ordine jam peroratâ causâ Callistrato mirificè celebra-
ri cepit. Quo incentivo non parum excitatus demo-
sthenes illicò vale studiis puerilibus dicens exercuit
strenuè ac subegit seipse, tanquam inter egregios ora-
tores brevi futurus, non unis de clamationibus. Nec
poterant non sequi ardorem istum exoptatissimi suc-
cessus. Pulcherrimarum quoq; scientiarum studiis uni-
cè deditus Aristoteles, quum Isocratem nobilitate dis-
cipulorum florere videret mirificè, quod ipse suas di-
sputationes à causis foro maximè convenientibus ad i-
nanem quandam sermonis elegantiam transtulisset,
mutatâ repente sententiâ versum quendam ex Philo-
ctetâ paullo secus recitavit. Ille enim turpe sibi, ait,
esse tacerè cum barbaris: Hic autem cum Isocratem
pateretur dicere: *αιχρὸν*, inquit, *σιωπᾶν λαλῶντες* Ἰσο-
κράτης. Addo hic Thucydidem puerum etiam, cum
is fortè historias suas recitanti olympiæ Herodoto affu-
isset, dicentis venustate permulsus adeo, gloriæq; cal-
cari percitus haud temperare sibi potuit à lacrymis.
Quod conspiciatus Herodus, Oloro Thucydidis patri
haud præter rem inlusurravit: *ὄργᾶ ἢ φύσις τῶν υἱῶν σὺ πρὸς*

αἰμαθῆματα. Quo indicabat ingenium filij incitatus
ad apprehendendas disciplinas videri. Plures adhuc ex
innumerabili copiâ hîc nominandi essent, qui tum sua
consummarunt ingenia mutuâ æmulatione, tum alio-
rum egregios animos mirificè invitarunt ac duxerunt
ad excolenda pariter saluberrima studia. Æmulum
Thucydidis Vellejus Paterculus vocavit Salustium. No-
bile par illud Theologorum Gregorius Nazianzenus
& Basilius M. Athenis; Poëtarum itidem Romæ, Vir-
gilius & Sallus non fuere in celebres. Atq; etiam ipse
Cicero tam præclarum Oratorem nobis se non dedis-
set, nisi & ipsi æmulatus esset alios, aliiq; tursus eundem.
Quem quæso stimulum, quod calcar ipsi addidit, dum
ingenio puer acerrimo ac penè dicam divino præditus
ita suis æqualibus præstaret, ut alij quoq; pueri è ludo
discendi redeuntes, eum tanquam Regem quendam
medium circumstantes, domum sæpè deducerent, &
puerorum parentes ingenij illius fama permoti in lu-
dum literarium sæpè ventitarent, ut quod crebra fama
& auditione procul acceperant, oculis eorâ usurpa-
re, & quasi manibus tangere liceret. Grandior postea
factus, & corroboratâ jam ætate ab exercitationibus
Oratoriis nullus ei mensis, nullus dies, nulla fermè
hora vacua erat. Commentabatur declamans sæpè
cum M. Pisone, cum L. Pompejo, aut cum aliquo a-
lio quotidie, idq; faciebat latinè, sed Græcè sæpius.
Duo tum excellebant Oratores, qui eum imitandi cu-
pitudine rapuerant, Cotta & Hortensius: quorum hic
consecutus est, ut princeps in foro & haberetur & es-
set. Consul itaq; factus Ciceronem consulari pariter
dignitate paullò post ornatum ita in Oratoria æmula-
tus est, ne, cum Cicero par esset honore, videretur
fortè aliquâ re superior, sepositâ interim omni invidiâ,
odi-

odioq; procul habito. In maximis quippe causis uterque conjunctissime versatus est. Nam cum Rhodum Ciceroni de L. Hortansij morte esset allatum, fatetur ingenuè se opinione omnium majorem ex isto nuntio percepisse dolorem. Quippe & amico amisso cum consuetudine jucundâ, tum multorum officiorum conjunctione se privatam, & insuper doluisse, quod non, ut pleriq; putaverunt, adversarium, aut obrectatorem laudum suarum, sed socium potius & consortem gloriosi laboris amiserit. Etenim, inquit, si in leucorum artium studio memoriæ proditum est, poëtas nobiles poëtarum æqualium morte doluisse: quo tandem animo ejus interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quàm omninò adversarium non habere? cum præsertim non modò nunquam sit aut illius à me cursus impeditus, aut ab illo meus, sed contra semper ab altero adjutus & communicando, & monendo & favendo. O æmulationis studium, nunquam non prædicandum! Quid non mortalium ingenia cogis? Tu mater & nutrix es incrementi literarij; tu regna, urbes, domos locupletasti, tu æmulam Imperii Romani Carthaginem ad sidera usq; exulisti, tu bibliothecas condidisti. Tuum est, quod totam Græciam imitati Latini, ita ut in Romanos migrarit tota studiorum felicitas: Tuum est, quod artificis artificum vestigiis inhæreant, nec sordidam adèd vilemve ullam opificum memoraveris officinam, quin locum quoq; inveniatur nostri Hesiodi illud:

καὶ κερμαεὺς κερμαεὶ κοίσει, καὶ τέκτονι τέκτων,
καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονεῖ, καὶ αἰοιδῆς αἰοιδῶ.

Pictor erat Apelles, nec in arte pingendi caruit æmulis, sed æmulantiumq; ambitione sæpè vulgi judicio superatus provocavit inde ad æquissimum ipsius

naturæ tribunal, atq; ab ea victor in cuiusdam equi figurati-
one iudicatus fuit. Tuum est, ô æmulatio,
non terrarum modo sed & maris tentare aditus inac-
cessos, ut si vel centum nunciarentur esse mundi, inve-
nirentur, qui denuò quærerent novos studio æmulan-
di alios. Scilicet ut ex chalybe ferro tacta ignis scintil-
lulæ eliciuntur, ut culter cultrum acuit: sic Virum
viro, ingenia ingeniis acui quotidiana experientia
magistra apertè loqui & velut indice videtur mon-
strare.

Quod cum & circa pubem nostram Scholasti-
cam Præceptores animadverterimus, id maximè con-
sultum duximus, ut singulis septimanis semel atq; ite-
rum prodirent discipuli, in conspectu commilitonum
recitaturi publicè, quæ domi elaborata inde attulissent
in medium. Ita enim bono cum DEO futurum arbi-
tramur, ut linguarum notitia simul ad per oraturos,
tum quoq; ad maximam auditorij dilapsura partem, &
quæ publicè recitata ac inculcata probè essent, firmitus
paulò ac feliciter sint hæstura. Ecquis enim ullus ali-
us sensus mentem torpore obsessam in studiis adeò ex-
citare valet, quàm auditus, de quo sapientissimi ho-
minum non ineptè pronuntiarunt, ad motus animi
ciendos hunc ipsum esse palmarem. Et liquidò appa-
ret, non modò plus juvare censoriam virgulam, quæ
publico adhibetur nomine, quàm si quæ privatæ poli-
enda subjeceris lima. Quapropter rei huic cum die-
rum Mercurij & Saturni horæ exercitiis styli destina-
tæ commodiores visæ sint, adhortamur omnes, ut at-
tentos ac cupidos, ut auscultandi, ita pariter æmu-
landi, quos prævios habuerint, nobis animos suos
declarent. Vestra hîc res agitur, vestraq; salus, vo-
bis omnia hîc seruntur, vobis metuntur; in vestrum
postea

postea sinum largissimo foenore opimiora praemia ef-
fundentur. Non est, quod cujusquam frangatur ani-
mus, langvescat industria, quem alij labore multo af-
fiduisq; vigiliis collimarunt scopum, eundem vobis
atidem hominibus praefixum & brevi assequendum sta-
tuatis. Humani à Vobis esto nihil alienum. Si ipsis
licuit eò aspirare, ut in conspectum literatorum prodi-
re nulli vereantur, quidni & caeteris idem pateat adi-
tus in tam amplo spatio in sublime nitendi. Nihil ad
summa contendenti arduum erit. Quod si strenuè
perrexeritis premere vestigia superiorum, non dubi-
tamus quin ejusmodi exercitiis propediem, DEO au-
xilante, tantos progressus sitis facturi, ut non modò
parem cum iis obtineatis eruditionem, sed etiam, si
augurari fas est, longè superiorem laudem. Indul-
gentissimum Numen palæstram hanc nostram alis suis
obumbret, habeatq; sibi commendatissimam, ut u-
niversi, tum qui adsunt praestò docentes, tum quos
formamus, tirones, Vasa sint Gratiae & misericor-
diae divinae, ut in utrisq; regnum ejus quotidie ma-
gis magisq; augeatur producatq; in secula. script,
Torgæ D. 29. Decemb. Anno M DC LIX.



Antesignanos habebitis.

- I. CHRISTIANUM GODTFREDUM ECCAT-
DUM Jesnensem, qui haecenus sæpè in *Graecis*
& Latinus auditus Vale jam dicturus ostendit
quid in Orientalibus praestiterit, inq; laudem Pauli (?)
li recitabit sermonem Ebraeum,

2. TOBIAM PFLUGMACHERUM Coalbensem,
Comparantem templa cum coelo, Græcis ver-
sibus.
3. JOHANNEM FRIDERICUM FISCHERUM
Ileburgensem de Horologiis.
4. CHRISTIANUM TREUTLERUM Witeber-
gens. de Fortitudine.
5. AUGUSTINUM MULLERUM Zittaviensem,
qui instituet comparationem scholarum cum nun-
dânis.
6. MICHAELEM Am Ende / de Musicâ.
7. FRIDERICUM Abroden / Laubâ-Lusatam de
Christi paupertate, Carmine latino.
8. DANIELEM Daber / Golnoâ-Pomeranum de
Scholâ Danielis.
9. JOHANNEM CASPARUM RICHTERUM,
Torg. de Christianis.
10. CHRISTIANUM Messerschmidt / Torg. de
Vestibus.
11. CHRISTOPHORUM Thaut / Herzberg. de
Fama tuendâ.
12. CHRISTIANUM Trautmann / Dalvvizens.
de Historiarum utilitate.
13. JOHANNEM SIBERUM, Baruthens. de Læ-
titiâ & Tristiâ.

F I N I S.

99 A 6971

ULB Halle 3
002 912 201




Sb.

VJ 12

Retrol







7 68

ÆMULATIONIS
ENCOMIUM
AUDITORIBUS
SUIS
INCULCAT

M. JACOBUS Reichmann /
Amplifs. Fac. Phil. VVitteb.

ꝛꝛꝛꝛ Adj. jam Schol. Torg.
Rector.

Witteb. Prælo JOH. BORCKARDI An. 1660.



pag. C 51, III